



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

1. Aprilis. In splendidis, & bene cultis sui contemptus, omnisque excellentiæ, & existimationis conculcatio corporis maceratione & prior & potior esse debet. S. Ignat. in vit. apud Bart

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Frustra fatigamini ! Non estis vos, qui loquimini. Pater cœlestis dabit vobis in illa hora, quid loquamini. Sine quo nihil, cum quo potestis omnia, facere. In illos liberalior, qui se, & sua parùm, Deum super omnia, curant.

I. Aprilis.

*In splendidis, & bene cultis sui contemptus, omnisque excellentia, & existimationis conculcatio corporis maceratione & prior & potior esse debet. S. Ignat. in vit. apud Bart*

**U**T rara, ita magna virtus est humilitas honorata : quòd se myricæ demittant, quòd in humili reptent vermiculi, magnum non est, sed quòd cedrus exaltata caput inclinet, ac quàm altè fertur in sublime, tam profundas in terram mittat radices, hoc vulgare non est.

Honorem & vitam pari passu tueri, ambitionis tessera est; quàm remotum ab hoc Christi axioma ! qui elegit esse opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Qui magnus esse vult, id medià sui depressione obtinebit. Si enim nihil honore sublimius orbis habet, hunc contemp-

E se,

se, parum esse non potest, sic enim major fit eo, quod maximum orbis aestimat.

Verbis se contemnere vulgare jam est etiam arrogantes id agunt, sed ut contemtus ipse contemnatur, huc si virtus assurrexerit, apicem perfectionis attigit.

## 2. Aprilis.

*Ut in salutem animarum efficaces sint narrantes, interiori virtutis impulsu agi oportet, indeque vires ad rem bene gerendam ducere. S. Ign. apud Bart. l. 4.*

**N**on semper ille metit amplius, qui amplius seminavit. Semen in vacuum nullum reddet fructum, nisi incrementum det Deus. Ubi deest spiritus, ibi semen inefficacium.

Cassus est organædi labor, nisi fistula impleverit spiritus, melos non edet. Nec Apostoli docendæ plebi se prius excinxerunt, quam repleti essent spiritu alto.

Vox hominis mortua est, auditur, non penetrat: nisi voci huic vox Dei societur. Frustra fatigantur latera; nisi Deus tecum loquatur, nihil proficies. Non jungit